



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XXIII. V. liceat eo modo co[n]fiteri circu[m]stantias peccatoru[m], quo
reuelentur co[n]sortes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

Estne circumstantia temporis necessa- Quæstio
riò confitenda? XXIII.

Circumstantia temporis, utpote peccare *Respōsio.*
in festo, non est necessariò confitenda:
Licet enim grauius sit, peccare in die festo;
tamen grauitas non est necessaria ad confi-
tendum. De quo etiam Confessarij admone-
re debent pœnitentes. Cuius assertionis hæc
assignari potest ratio, quòd per peccatù non
violetur præceptum de sabbatho sanctificã-
do, cum non sit opus seruire & corporale, à
quo, ut abstineamus, illo præcepto præci-
pitur.

Licetne eo modo confiteri circumstan- Quæstio
tias peccatorum, quo reuelentur XXIIII.
confortes?

Quæstio hæc exemplo declaratur: Com- *Respōsio.*
misit aliquis incestù cum matre, Cõ-
fessarius autem cognoscit ipsum & matrem;
quæritur iam, an is teneatur confiteri illam
circumstantiam cum qua: quæ quidem non
potest dici sine reuelatione personæ cõsortis
in crimine. Et respõdetur ex cõmuni omniũ
Theologorum sententia, quòd talis tenetur
quærere alium Confessionarium, qui nõ co-
gnoscat matrem: quia cum periculum infã-
miæ crearetur matri, talis Cõfessio studiosè
caueri debet, ne; quod in omnium salutem
insti-

Caput III. De Qualitate

institutum est, vergat in extremam alicuius perniciem.

Et ne quis hæc gratis dici existimet, ratio eius pulcherrima adferri potest hæc. Præceptum dilectionis proximi, nõ modò diuinum, verumetiam naturale est; cùm præceptum de Confessionis integritate duntaxat fit Diuinum: Quare hoc potiùs debet illi cedere, quàm, vt per Confessionem integram proximus contra naturæ leges, famæ faciat iacturam. Veruntamen, si eius sit estimationis Cõfessionarius, vt à plerisq; omnibus habeatur vir bonus, seruansq; secreti: dubium non est, quin integrè teneatur pœnitens confiteri, etiam cum personæ; qua cū peccauit, manifestatione.

Quòd, si absque necessitate, personam tertij detegant; Confessarij eos admonere debent, vt de hoc ipso pœniteant, & deinceps id facere non præsumant, alòqui Confessio huiusmodi facta Confessario, tertiam personam agnoscenti, culpabilis erit: Nam Confessionem oportet esse propriã, & sui ipsius duntaxat accusationem, id quod non obscure indicat Psalmographus, dñi inquit: Dixi, confitebor aduersum me, iniustitiam meã Domino; dñi ait, meam iniustitiam, quemque de suis criminibus sollicitum esse vult, neq; alios in societatem sceleris esse aduocandos. Vult, inquã, vt ipse te accuses, nõ alium, hinc de tuo agitur capite, de tua periclitaris salute.

Psal. 31.

salute. Quarè ea referenda sunt, quæ te reum peragunt, quæ te damnant, & legis præuicatore conuincunt; nec excusabitur per integritatem Confessionis seruandam; quia, etsi integritas Confessionis exigat tertiam personam aliquando manifestari; nõ tamen requirit, vt talis Confessio integra fiat Confessario, tertiam illam personam agnoscen- ti, quando alius potest haberi Confessarius.

Si verò nõ inueniatur Confessarius, igno- rans talem personam, dicunt quidem aliqui, quòd tùm illam circumstantiam personæ nõ tenetur dicere, sed tamen fortè non peccaret dicendo; quia præceptum de Confessione est maius, quàm præceptum de seruanda fama alterius, & ego vtor iure meo: Maximè, quia non diffamo consortem, cùm Sacerdos te- neatur peccatũ meum & suum æquè celare.

*Quibus in rebus consistit Confessio-
nis integritas?*

*Quæstio
XXV.*

AD integritatem Confessionis requirun- tur Sex, quorum vnum, si desideretur, Confessio nullius erit momenti.

Respõsio.

PRIMO, adfit oportet, integritas ma- teriæ necessariæ, quæ sunt peccata mortalia: Non enim sufficit in genere profiteri lætha- liter peccauit: verumetiam explicare oportet, quæ genera mortalium peccatorum sint commissa.

ECVN-